

39. Honor exhibitus domino cardinali^{1355.}
per cives Romanos et qualiter secreto^{R. 35-36.}
imperator ingreditur Urbem.

Die Iovis autem sancto de mane, secunda die iam^{April. 2.}
5 dicti mensis Aprilis, de dicta civitate Sutrii discedentes
apud Cezanum¹, opidum comitis Anguillarie, quod ab
Urbe miliari quartodecimo distat, simul et in una mensa
prandium sumunt ac deinde statim equos ascendunt et
celeribus passibus properant versus Urbem. Et cum ad
10 ecclesiam Magdalene², que sita est per unius miliaris
distantiam extra, dictus dominus cardinalis attingit, ibi
reperit senatores³ et populum, ut uno verbo concludam
maiores, medios et plebeios, unanimes et concordēs ad
dictos dominos omni modo, quo poterant, honorandos.
15 Sed dictum regem tunc honorare non possunt, quia tunc
ex certa scientia diverterat et Urbem intrare noluit
publice recta via propter certas rationes et causas iustas
et rationabiles quas habebat⁴. Obmissis itaque viis, que
ducunt ad portam castelli Crescentii⁵, quod sancti Angeli
20 <vocatur>^{a-5}, quam omnis Romanorum rex debet in im-
peratorem coronandum intrare, necnon et ad portam
7. 143. Viridariam^{b-6}, per quam dominus cardinalis intravit per
universum populum summo cum gaudio receptus, tam
pallio quam aliis cerimoniis et plausibus notabiliter hono-
25 ratus, supra montem Gaudii, quo quasi cernitur tota
Roma, suum secretum iter arripiens, tandem <per>^a

c. 39: P. Adhibetur etiam F2. — a) om, P; supplēti. b) Vidariam P.

1) Cesano. 2) Ad pedem montis Marii sitam; cf. Adinolfi, 'Roma nell' età di mezzo' I (1881), p. 138 sqq; Gregorovius, 'Geschichte der Stadt Rom' V⁴, p. 604, n. 2. 3) Ursus Andreas f. de Ursinis et Johannem Thebaldi f. de S. Eustachio; cf. Gregorovius l. c. VI⁴, p. 369.
4) Iuramentum scilicet, quo promiserat se ante diem coronationis Urbem non intraturum esse, ante electionem suam a. 1346. April. 22. datum et postea pluries renovatum: MG. Const. VIII, nr. 9, p. 14, IV; nr. 91, p. 118, IV; nr. 96, p. 130, IV; nr. 166, p. 233, IV. Errat Theiner (Raynald. Ann. eccles. 1355 § 2), cum ex litteris Innocentii VI. papae a. 1355. Jan. 31. datis (Theiner, Cod. domini temporalis S. Sedis II, p. 278; Reg. imp. VIII, 'Päbste', nr. 44) efficit, Karolum regem ab huius iuramenti religione solutum esse; in quibus litteris nil nisi
40 licentia diei coronationis ab ipso praefigendi ei conceditur. 5) Porta Castello. 6) Eadem ac Porta S. Peregrini vel 'Porta S. Pietro'; v. Adinolfi l. c. p. 138; Gregorovius l. c. III⁴, p. 97, C. Quarenghi, 'Le mura di Roma' (1884), p. 144 sqq. Cf. etiam infra c. 46.